Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26870
Copyright: Admont, Benediktinerstift



et ego eum coram patre meo qui est in celis. Qui autem negauerit me coram hominibus. et
ego negabo eum coram patre meo qui est in celis. Item apostolus paulus si enim commorimur in quit
et conuiuemus. si toleramus et conregnabimus. si negamus. et ipse negabit nos. Item
iohannes. Qui negat filium neque patrem habet. qui confitetur filium. et filium et patrem habet.

ad contemptum

Vnde nos ad contemptum mortis hortatur dominus et corroborat dicens. Nolite timere eos qui occi
dunt corpus. animam autem non possunt occidere. magis autem metuite eum qui potest et animam
et corpus occidere in gehennam. Et iterum. Qui amat animam suam perdet illam. et qui odit ani
mam suam in isto seculo. in uitam eternam custodit illam. Quod redempti et uiuificati xpi
sanguine. xpo nichil preponere debeamus. quia nec ille nobis quicquam preposuit. in euan
gelio loquitur dicens. Qui amat patrem aut matrem super me. non est me dignus. et qui diligit filium
aut filiam super me. non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam et sequitur me. non est meus discipulus sicut
scriptum est in deutero nomio. Qui dicunt patri aut matri non noui te. et filios suos non
agnouerunt. hi custodierunt precepta tua. et testamentum tuum seruauerunt. Item apostolus paulus.
Quis nos in quit separabit ab agape xpi. pressura an angustia. an persecutio. an fames
an nuditas. an periculum. an gladius. Sicut scriptum est. Quia propter te occidimur tota
die. deputati sumus sicut oues uictime. Sed in his omnibus superuincimus. per eo qui dilexit nos.

omnibus

Et iterum. xpus pro omnibus mortuus est. ut qui uiuunt iam non sibi uiuant. sed ei qui pro nobis mor
tuus est et resurrexit. Ereptos de faucibus zabuli et de laqueis seculi liberatos. non de
bere denuo ad seculum reuerti. ne perdant quod euaserunt. in exodo iudaicus populus ad
umbram nostri et imaginem prefiguratur. cum deo tutore ac uindice euasisset pharaonis
atque egypti. idem zabuli et seculi durissimam seruitutem. circa dominum perfidus et ingratus.
ad uersus moysen musitauit respiciens solitudinis et laboris incommoda. et non intelli
gens libertatis ac salutis beneficia diuina. et reuerti querit in egyptum. hoc est ad
seculi seruitutem. unde erat exutus. cum magis in deum fidere deberet et credere. quoniam
qui a zabulo et seculo liberauit populum suum. proteget liberatum. Quid hoc nobis inquiunt fecisti.
in eiciendo nos de egypto. Melius est enim nobis seruire egyptiis. quam obire in solitu
dine hac. Et dixit moyses ad populum. Videte state et cernite salutem quam adeo est quam
hodie faciet uobis dominus. pugnabit enim pro uobis. et uos tacebitis. Quod nos admonet
dominus et docens in euangelio suo. ne ad zabulum rursus et seculum quibus renuntiauimus
et unde euasimus reuertamur dicens. Nemo retro adtendens et superponens manum suam
super aratrum. aptus est regno dei. Et iterum. Et qui in agro est non reuertatur retro. Memores
estote uxoris loth. Ac ne quis aliqua ut cupiditate rerum ut suorum dulcedine re
tardetur. quo minus xpm sequatur. addidit et dicit. Qui non renuntiat omnibus que possi
det. non potest meus discipulus esse. Insistendum esse et perseuerandum in fide et uirtute &
celestis ac spiritalis gratie consumatione. ut ad palmam et coronam possit perueniri.
In parali pomenon. primo dominus uobiscum est. quam et uos estis cum ipso. Si autem dereliquerit
eum. derelinquet uos. Item apud ezechielem. Iustitia iusti non liberabit eum. in qua
cumque die exerrauerit. Item in euangelio loquitur dominus dicens. Qui perseuerauerit usque in